



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

XI. Contra id, quod fatalibus stellis dicunt animas hominum obligatas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

Rom. 8.

Quid ergo hic agunt cursus siderum, quid figmenta factorum? quid mundanarum rerum mobilis status, & inquieta diuersitas? Ecce tot impares gratia Dei facit æquales, qui inter quoslibet vitæ huius labores, si fideles permanent, miseri esse non possunt, apostolicum illud in omni tentatione dicentes: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est: quia propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus in eo, qui nos dilexit.* Et ideo ecclesia, quæ corpus est Christi, nihil de mundi inæqualitatibus metuit, quia nihil de bonis corporalibus concupiscit. Nec timet inani strepitu factorum grauari, quæ patientia tribulationum nouit augeri.

## X I.

Vndecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis & animas hominum & corpora opinantur adstringi, per quam amentiam, necesse est, vt homines paganorum erroribus implicati, & fauentia sibi (vt putant) sidera colere, & aduersantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in ecclesia catholica locus est: quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, a Christi corpore totus abcessit.

## X II.

Coloss. 2.

Duodecimum inter hæc illud est, quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describunt, & qualitates interiorum præsulum in patriarcharum nominibus statuunt, quibus e diuerso signa fiderea, quorum virtuti corpora subiiciantur, opponunt. Et in his omnibus inextricabili se errore præpediunt, non audientes dicentem Apostolum: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.* Et iterum: *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* Quid ergo opus est in cor admittere, quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod euāgelii veritas non prædicauit,

Ibidem.